meritis adiuuari. Per.

Populi tui deus sacrificium commune et grata sit hostia que sanctorum tuorum solempnitatibus immolatur. Per dominum. Postcommunio. Repleti domine muneribus sacris quesumus ut intercedentibus sanctis tuis quae corporaliter agimus spiritualiter sentiamus. Per. In vig. andree

Dominus secus mare galilee eum uidit duos fratres petrum et andream et uocauit eos uenite post me faciam uos fieri piscatores hominum. Ps. Celi enarrant gloriam dei et opera manuum eius. An. Gr.

Omnipotens deus ut beatus andreas apostolus tuum pro nobis imploret auxilium ut a nostris reatibus absoluti a cunctis periculis eruamur. Benedictio Sapientie domini super caput iusti. Ideo dedit illi hereditatem et diuisit ei partem in tribubus duodecim et inuenit gratiam in conspectu omnis carnis. Magnificauit eum in timore inimicorum et in uerbis suis monstra placauit. Glorificauit eum in conspectu regum et dedit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum et elegit eum ex omni carne. Dedit illi cor ad precepta et legem uite et discipline et excelsum fecit illum. Statuit illi testamentum eternum.